



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Nucleus Practici Tractatus, De Legibus

Marchius, Ewald

Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661

Præfatio Ad benevolum Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42256



P R Æ F A T I O

Ad benevolum LECTOREM.

NOtum est Theologis , Materiam de
JURE & JUSTITIA, cum eâ, quæ
est de LEGIBUS, tantam habere affinita-
tem , dependentiam & connexionem , ut
unius solida cognitio, sine altera, haberi mi-
nimè possit; cum hæ materiæ, veluti quidam
circuli & nexus , sibi invicem cohærentes,
unam Justarum LEGUM catenam consti-
tuant; JUSTITIA enim, constantem vo-
luntatem, Jus suum cuique tribuendi exi-
git, teste a Cicerone, qui ait, Græcos LE-
GEM vocare νόμον, id est, à tribuendo uni-
cuique quod suum est , cum LEX debeat
esse justa. LEX enim fertur, ut JUSTITIA
administretur, quod neutiquam fiet , nisi
LEX observetur; Idque locum habet , tam
in JUSTITIA EVANGELICA & PO-
LITICA, quam in LEGE DIVINA &
HUMANA , Quis enim JUSTITIAM
exercere, seu ritè administrare poterit, nisi
ex præscripto LEGUM? Quis LEGES be-
ne ferre? nisi JUSTITIAM pro objecto &
Scopo habeat? unde dicit S. AUGUSTINUS
b Mi-

a Cicero lib. 1. de LEGIBVS.

ad benevolum Lectorem.

¶ Mihi LEX esse non videtur, quæ iusta non fuerit, & S. Thomas docet, esse de ratione LEGIS, ut iuste feratur, id est, forma JUSTITIÆ servetur, ideoque tres virtutes JUSTITIÆ, in ea cerni debent, utpote Legalis, Commutativæ & Distributivæ: Hinc LEGES uti rami, ex radice arboris JUSTITIÆ proveniunt, hujus vero administratio & executio, ex LEGIBUS oritur, nemo enim ignorans peccat, nihilque est volitum, quod antea non fuit cognitum: unde dicit Apostolus, concupiscentiam nesciebam, nisi LEX diceret, non concupisces, Rom. 17. ac proinde LEGES minime ad pœnam, nisi scitæ & promulgatæ fuerint, Transgressores obligant: Quem ordinem, ipse etiam Dominus Deus, Judex noster, Rex noster, & LEGIFER noster, ut inquit Propheta Isaias d. in omnibus operibus JUSTITIÆ servare solet; antequam enim in exilium perpetuum, Protoplastes è paradiso proscriberet, e jam prius LEGEM; de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali, dederat, Et antequam sententiam maledictionis, in incircum-

cifos
b S. Augustinus lib. 1. de libero arbitrio, c. 5. c S. Thomas 1. 2 q. 96. art. 4. & q. 95. art. 3. d Isaiæ cap. 33. v. 23. e Gen. 2, v. 16. & cap. 3. v. 24.

Praefatio

cifos proferret, Abrahamo *f* prius, **LEGEM** Circumcisionis imposuerat; uti & **LEGES** Decalogi, & alia iudicia & mandata, prius per Moysen *g* Populo Israelitico praescripserat, & promulgaverat *h* antequam Iustitiam in transgressores exerceret. Hinc, tam frequens in sacris Litteris, **LEGIS** mentio habetur; ut etiam ab ea, Psalmista Psalmum primum, exorsus fuerit, Beatum eum dicens, qui in **LEGE** Dei meditatur die ac nocte *Psal.* **I. v. 2** Cujus etiam **LEGIS** nomen, sub nomine Viæ, Testimonij, Judicij, Justificationis, Mandati, Sermonis. Eloquij, &c. In unico psalmo **118.** ultra centies septuagies repetit, uti & **S. Paulus** Apostolus in solis suis Epistolis, centies & quadragesies, **LEGIS** mentionem facit; Nihilque frequentius totum vetus, & novum Testamentum, praeter **LEGES**, earumque observantiam resonat; *Matth. 22.* Quas omnes, sub gemina Dilectionis Dei, & Proximi **LEGE** & Mandato contineri, ipse noster Salvator attestatur. Cū vero **LEX** **Æterna**, omnium **LEGUM**, fons sit & origo, omnesque **LEGES**, ab ea proveniant, & vim obligandi habeant, prout testa-

(f) *Gen. 27 v. 12.* (g) *Ib. v. 14* (g) *Exodi 20.*
à versu 1 usque ad 17. h) Exodi 22.

ad benevolum Lectorem.

testatur S. Augustinus, & S. k Thomas eiusque elucidatio, Theologis potissimum competat, ad quam etiam cæteræ LEGES Positivæ, tam Ecclesiasticæ, quam civiles, uti ad lidium lapidem, probari debeant, Justitiæq; administratio, ex LEGUM scientia & observatione dependeat; Hinc operæ precium duxi, NUCLEO meo priori, de JURE & JUSTITIA, hanc simul practicum de LEGIBUS adjungere, publicæque luci exponere; in quo, omissis illis, quæ aliqui Doctores. sæpius extravaganter, & magis scholastice & speculative, quam practicè tractant, Ego omnia ea, quæ ad hanc materiam de LEGIBUS propriè spectant, Praxi (at præsertim Judiciariæ) subserviunt: simili brevitate & perspicuitate tradidi, quæ in NUCLEO priori usus sum, ne Libellus nimium excresceret, vel fastidium prolixitate pareret; Quem summo meo labore, in hunc NUCLEUM redactum, etiam tuo bono, LECTOR BENEVOLE, in lucem protuli: Quo secure frui poteris, cum nihil ex pharetra propria depromptum contineat. verum, ea sincere & fideliter tradat, quæ S. Isidorus, S. Thomas, Dominicus Soto, Diedo, Suarez, Reginaldus

i) *Aug lib, 1 de libero arbitrio c. 5 k) S. Thomas l. 2. q. 93. art. 3.*

Prefatio

duſ, & alij probatiſſimi Doctores, fuſius de hac materia ſcripſerunt; In cuius elucidatione, mihi etiam non exiguum lumen ea attulerunt, quæ ante annos 40. in univerſitate Lovaniendi, ex ore celeberrimi & profundiffimi; SS. Theologiæ Doctores, & ejuſdem Profeſſoris, Eximij Domini Joannis Wiggers, uti & Clariffimi J. U. Doctores, & SS. Canonum. Ibidem tunc Profeſſoris, Andreae Valenſis, calamo excepi.

Cum igitur, prioris mei **NUCLEI** ſucus & medulla, tam gratum ſaporem, maſticantium palatui indiderit, ut ejuſdem 1500. compoſitiones (exemplaria impreſſa intelligo) per varias orbis partes diſtractæ, tam brevi temporis ſpatio, ad fundum prope devenerint. Hinc magnam concepi fiduciam, hunc menim alterum **NUCLEUM**, quem ex varijs Scholaſticorum Hortorum floribus & fructibus ſalutiferis, non minori labore & induſtria, uti apis argumentofa, fideliter exuxi & decerpi, ac in alveare hoc, uti mel deſpumatum recondidi, non minorem priore, dulcedinem guſtui tuo, **LECTOR BENEVOLE**, allaturam ut cum Pſalmiſta dicere poſſis
*Quam dulcia faucibus meis eloquia tua,
ſuper mel ori meo, Spiritus enim Domini,*
qui

I Pſal. 118.